

HISTORIA

DE DVOBVS AVGVSTINEN

sibus, ob euangelij doctrinā exustis Bru-
xellæ, die trigesima Iunij.


Anno domini

M. D. XXIII.

Articuli LXII. per eosdem asserti.

ITEM.

Pia & Christiana expostulatio cum quodā, qui ueritatem, quam professus fuerat, impiorum
tyrannide, & horrore mortis tandem abnegauit.



Exhibitum fuit nobis hisce diebus spectaculum, miserabile dicerem, si ij quorum miserebat, spectatores miseri sibi & nō beatissimi uisi fuissent. Si uatrat & lubitum est audire, accipe paucis rei summam. Ex coetu illo Augustinensiū, qui ex ciuitate Hantuerpiæ Vilfordiam captiui perducti fuerunt, tres numero in hæresi sua perstiterunt, cæteris palinodiam canenti bus. Nihil nō tentatum est, ut ij eandem quam fratres eecinerant, canerent cantionem. Vbi uiderunt se, quibus id negotij datū erat, cum omnia ageret, nihil age-re, decreuere nimium pertinaces extremo tradere supplicio. Transportantur Bruxellam, afferuantur in carcere diligēter. Conueniūt cōdem M. N. Louanienses. Fama, quia nulla ferè diem supplicij præcesserat, paucos alios aliude huc pertraxit. Pridie Visitationis Dei paræ uirginis concurritur in forum. Conueniunt ordines mendicatiū tres, neque enim plures, uti nosti hic sunt, præuite uxillo crucis, ueluti solent, cum solenni pompa incedunt. Considerib⁹ ordine iam sacræ Theologie professoribus, abbatibus mitris et gemmatis peditis conspicuis, qui loco Episcoporum aderant, & alijs nonnullis in pulpito. Nam pulpitum erectū erat per amplum ante Basilikam, quam vulgo senatoriam domum uocant. Sub horam undecimā ducitur per forum è tribus natu minimus, qui ut annis ab alijs superabatur, ita doctrina & facundia præstabat. Ductus intro, inibiq; paululum moratus, prodit in pulpitum indutus sacerdotali panoplia. In medio collocata erat mensa

Instar altaris ornata & instrata, ante hanc flexis genibus procumbit, ibi omnes, uelut stupentes, oculos desigere in eum. Nullam trepidationis aut perturbati animi significationem cernere licuit. A' tergo consistens concionem incipit minoritarum gardianus, ex aduerso ceremonias aperto codice auspicatur episcopus. Horam totam, dum hic ceremonias peragit, ille concionatur, eodem corporis habitu uultuq; eodem iuuenis durabat. Ego quum concionatorem praeturbam intelligere nequirem, quod & alijs accidebat, totus intendebam in reum. Quod uerum esse constat, quorsum dissimulcmus? Vultus compositus & placidus, non modo mortis contemptum, uerum etiam summam modestiam ac mansuetudinem praesere ferebat. Precationibus & sacris contemplationibus intento assimilis uidebatur. Postea iussus nunc hoc nunc illud facere, miru quam propterea, q; no grauate paruerit. Ferunt dixisse obiter se fore obedientem usq; ad mortem. Iis peractis ceremonijs, ubi ex sacerdote factus fuisset, quem uulgaris laicum aut secularis uocat, mutato uestitu introabit. Post prodeunt duo reliqui facie horridiores, nimiri barbati: cū iuuenis ille, quem memoravi, mento no esset hirsuto, sed forma miru in modū decenti & satis uenuusta: sed prodeunt, uultu eandem constantiam & alacritatem attestante. Quid multis? Et his adimitur sacerdotium ac monachatus sacramentum: ex sacris prophani effecti relinquunt pulpitū. Post paulū educuntur duo, primus ille

et alter è posterioribus. Itur ad ignē, qui in eodem ubi
hæc acta sunt, foro parabatur. Interea dum ducuntur,
dū exiunt sese uestibus, multa audiebātur ex illis, quæ
argumenta clarissima omnibus fuisse sanarum & pia-
rum mentium, & ueluti gestientium cum Christo con-
iungis soluto corpore, nisi persuasum fuisse hæreses es-
se cōuictos. Subinde testificati sunt se mori Christiāos,
se credere in sanctam Ecclesiam catholicam. Aiebant
hunc esse diem quem diu expectassent. Iam uestibus nue-
dati, relicto tantū indusio, stetere diu, magis ipsi palos
amplectentes, quam alligati. Ignis lentius succendeba-
tur: id consilio factum sit an casu, equidem affirmare nō
ausim. Quid inquis? non languecebant tam diuturna
mora uexati? nō demittebant animos iam fumo subuo-
lante, mox flamma subsequitū? Quod si ex gestibus,
fronte, oculis, denique ex toto uultu iudicare conuenit,
quæ omnia ueluti loquuntur, & non raro certius &
meliori fidei animū aperiunt quam lingua: fiducia, con-
stantia atque alacritas, quæ summæ fuerant semper, in-
crementum sumere uidebātur: tum potissimum emicā-
bat nescio quæ hilaritas, adeo ut multis ridere uide-
rentur. Præter alia recitabant symbolum fidei & can-
ticum ecclesiasticum: Te deum laudamus. idq; alternis
dicebant. Alter dum ignem succēdi sub pedibus aspice-
ret, aiebat uideri sibi rosas sub sterni. Tandem exorta
flamma uocem utriusq; intercepit. Ego semper ab eius-
modi spectaculis natura abhorui et lubenter abstinui,

neque hic spectator esse potuisse, nisi ipsi de quorum
capite agebatur, mihi, qui ociosus in tuto spectabam,
scrupulum omnē sua magnanimitate & uultus hilari-
tate eieciſſent. Tertius productus non fuit, id quare fa-
etum sit, compertum nō habeo. Quidā hunc resipuisse
narrāt; uerū quando ad populum reductus nō fuit pub-
lice recantatus, omnibus id persuaderi non potest.
Quidā ſuſpicantur clam necatum. Ut ut ſe res habet,
diu latere non poterit. Poſtridic cum dies eſſet ſacer
Diuīe uirgini, Minorita hic in concione populū admo-
nuit, ut ſi forte rogarer ex iſpis, quis fuſſet exitus eo-
rum, quos concremari uidiffent, dicerent obijſſe in fide
erronea Lutheri; accepiffe ex quibusdam dictitans ſe,
in extremo momento defeciffe eos ab erroribus, quod
quidem precibus quorundam & diuīe Virginis bene-
ficio, que miraculum edidiffet, factum aiebat. Idem
ferè aſſeuuerabat Louanię, nam redierat eō M. N. Nico-
laus Egmondanus, narrans à prandio in cōcione, ſe ho-
ra undecima literas accepiffe à probo & optimo uiro
Francisco ab Hulſt, cui prouincia à Cæſare demanda-
ta eſt inuestigandi & persequendi hæreticos, quibus
ſignificari aiebat Auguſtinianos illos hæreſeos dama-
tos & exuſtos, rediſſe, cum iā flamma ſubmoueretur,
reieciſſis erroribus, ad ſaniorē mentem. Quod quia con-
ſtanter hoc negant, quotquot proxime ignē aſtiterunt,
tacuiſſe fortassis preſliterat, niſi ſi quis id ex abundan-
tia charitatis, que omnia ſperat, factū exiſtimet. Bene-
uale. Bruxellæ, ſexto Idus Iulij. Anno 1525.

EX ALIA EPISTOLA.

DE exustis hic Bruxellæ duobus Augustinësibus
credo ab alijs perscriptū . Incredibili constan-
tia aut pertinacia mortem acerbissimam pertulerunt.
Cancellarius affirmabat , se nihil unquam simile uidis-
se, inter tam multos suo tempore condemnatos ac sup-
plicio affectos. In media flamma symbolum recitabat,
atq; Iesum identidem inclamabant. Iudices erat Hoch-
stratus, Egmondanus, Hodscalcus , Lathomus, Ruar-
dus. Aderat & Pascha Carmelita Mechliniensis. Fran-
cisco Hulst cōmissum est diplomate pontif. ut ipse no-
minet inquisitorem , modo prēlatū aut theologum. Is
nominauit continuo Egmondanum. Hi omnes dicūtur
ituri in Hollādiam, ad Hoen et Ludungnū Delfensem ,
pridem in carcerem coniectum. Cæterum ualde metu-
unt, ne quis illic tumultus exoriatur, ut sunt homines,
quanq; exemplum plurimos absterrebit , ut sperant.
Nondum concordat , an uelint omnes ire, aliij alias cau-
ſas neglectunt . Saluta meis uerbis Ioannem Zuiunglium,
& Huttenū. Rebus hic satis exploratis ad uos reuola-
bo, ibi in hypocaustis omnia commētabimur . Ex Bru-
xella pridie idus Iulias &c.

ARTICVLI ASSERTI
per fratrem Henricum &c.

- 1 Nemo obligatur ex mandato pōtificis seu imperatoris, abstinere à legendis libris Lutheri.
- 2 Præcipientes abstinere à lagendis libris Lutheri, plus præcipiunt quām spiritus dei exigat.
- 3 præcipientes abstinere &c. faciunt contrascripturas. oīa probate . et pbate spiritus si ex deo sint.
- 4 Iniuriando cōmissario, dicit illi, quod blandis uerbis uellet se decipere.
- 5 Libri Lutheri præbuerunt sibi lumē maius sacrae scripturæ, quām alij doctores quos ipse legit.
- 6 Propinquius eum adduxit ad euangclium Christi Lutherus, quām Augustinus uel Hieronymus.
- 7 Ex scriptura sacra non potest probari, quod papa uel quicunq; prælatus habeat plus , quām solum ministerium uerbi Christi .
- 8 Nec papa, nec quicunq; alijs prælatus potest aliud præcipere uel prohibere, quod sacra scriptura non continet, uel quod deus non præcepit, uel prohibuit, quo lederetur conscientia.
- 9 Secularis potestas potest talia præcipere & prohibere quo ad corpora, sed nō quo ad consciētiā.
- 10 Ecclesia nondū prohibuit libros Lutheri. & post solutionem textuum : Omnia probate. & probate spiritus si ex deo sint , intravit cūndē articulums

- Ium, dices, Ecclesia nō repbauit libros Lutheri.
- ¶ Aliqui articuli in bulla leonis papæ decimi repe-
riuntur damnati, qui tamē sunt ueri, & per hoc
male damnati, donec melius instruatur. et exem-
plificauit de illo:
- ¶ Omnes homines sunt sacerdotes coram deo.
- ¶ Omnes homines possunt remittere peccata cuiu-
slibet Christiani, qui sciunt corripere fraternali-
ter proximum.
- ¶ Mulieres possunt absoluere homines à peccatis,
quod intelligit de euangelica absolutione, que
cōtinetur ibi: Si peccauerit i te frater tuus &c.
- ¶ Potestas euangelica contenta ibi. Quorū remiseri-
tis peccata. est potestas communis omnibus ho-
minibus.
- ¶ In missa nō offertur corpus Christi ab homine, qđ
quod sibi est datum in remedium & commemo-
rationem, non offertur.
- ¶ Interrogatus, an uerba Canonis missæ sint falsa,
quicquid sit, inquit, de uerbis Canonis, nō offer-
tur corpus Christi in missa, sed solum sumitur in
memoriam eius.
- ¶ Ignorat an maneat panis i sacramēto Eucharistiae
post consecrationē Christi. & cum adductus es-
set textus. c. damnamus. de sum tri. & fi.ca.re-
spondit: Si habeatur in sacris literis, tunc credo
hoc, & aliūs non.

- 19 Nihil debere credi sub periculo conscientiae, nisi quod uerbis diuinis est proditū, uel quod ex uerbis diuinis illici potest.
- 20 Si Concilium diffiniret aliquid, quod in sacra scriptura nō continentur, hoc debet suspectū haberi.
- 21 Nec uoluit ultra respondere, utrum deberet credere, uel non credere, sēpius tamen interrogatus, quicquid sit de Martino luthero, scit & dicit perscripta illius uenisse ad cognitionem Euangelij. Interrogatus an Martinus ipse Luther habuerit spiritū dei, noluit respondere.
- 22 Dixit se nō intelligere, interrogatus, si putet esse differentiam inter sacerdotes & laicos in consecratione Eucharistiae, & an consecrare pertinet at ad sacerdotium Christi, & ad sacerdotium novi testamenti,
- 23 In iuriose dixit, Christus bene respicet in minas uestrarū &c.
- 24 Si haec tenus omnes bene reputasset, omnes laici reputati fuissent sacerdotes sicut consacrati ab ipsis.
- 25 Nō intellexit, an Episcopus consecrans aliquē in sacerdotē, aliquā nouā potestate consecrādi tribuat.
- 26 Maius est sumere corpus Christi, quod omnibus fratribus competit, quam consecrare, quod dunt taxat in ministerium ipsius sacramenti. Non tamen intellexit, utrum, si episcopus diceret laico, consecres, laicus sine alia ordinatione consacraret corpus

corpus Christi.

- 27 Non est iuris diuini, neq; à deo præceptum, omnia
peccata mortalia cōfiteri homini. Quia nemo ho-
minum potest sua peccata cognoscere, multo mi-
nus confiteri.
- 28 Baptismus, Eucharistia, & pœnitētia innituntur
promissionibus Christi quæ fidem excitant, ideo
credit eorum fidem & gratiam conferre.
- 29 Reliqua quatuor sacramenta, uidelicet Confirmationis, ordinis, matrimonij & extremæ unctionis, non uerbum promissionis, sed sunt potius re-
tus antiquitus obseruati, & ideo non conferunt
gratiam, & possunt relinquere ut non sacramēta.
- 30 Prædicta sacramenta non plus conferunt gratiam
q; alij ritus Ecclesiæ, quos Ecclesia non reputat
sacramēta. Quia soli uerbo dei cōfertur gratia.
- 31 Sacerdotium nō est sacramentum, nihilominus est
ministerium necessarium.
- 32 Extrema unctione non habet promissionem.
- 33 Nec papa nec Episcopus aut aliis quilibet præla-
tus spiritualis potest hominem obligare ad ea
quæ non sunt iuris diuini, ita ut transgrediendo
peccet mortaliter, ut puta ad iejunium quadra-
gesimæ, ad confitendū semel in anno, ad celebra-
tionem festorū &c. secluso fratribus scandalo, do-
nec melius instructus fuerit.
- 34 Christus operatur in hominibus & per homines

omne opus bonum , ita ut homines nihil agāt a-
ctiue, sed patientur duntaxat Christum operan-
tem in se tanquam in instrumento.

- 35 Romanus pontifex , Petri successor, nō Christi ui-
carius super omnes totius mūdi Ecclesias ab ipso
Christo in beato Petro institutus , quia Christus
non uicarium , sed ministrum instituit summum
pontificem.
- 36 Omnia uota perpetua, extra Christi præceptū e-
missa, ut sunt uota religiosorum, sunt impruden-
ter emissā per ignorantiam Christianæ liberta-
tis, & sic non obligatoria.
- 37 Postquām expertus est Christianā libertatē, con-
scientiam suam uinciri uotis non putat.
- 38 Vera & Christiana & catholica fides non potest
separari à charitate, quia charitas est fructus fi-
dei, et fides Christiana sine dilectione mortua est.
- 39 Sacramentum in missa prodest duntaxat sumenti.
- 40 Quando deus dimittit peccatori peccata, tūc per
mortem Christi & peccatorū dimittit omnem
poenam . & hoc pie credit.
- 41 Nescit utrum sit purgatorium, an non sit.
- 42 Dixit: domini mei inique egistis nobiscum, & non
secundum Euangelium.
- 43 Sacramentum Eucharistie non habet in altari ob-
lationē, sed i cruce tantū semel oblatio facta est.
- 44 Postquām peccator est confessus et absolutus, non

obligatur iure diuino ad aliquam poenam dum
modo non offendat fratrem scandalizando, aut
ecclesiam aliquo crimen publico, uel priuato.
Et ergo sunt solum duæ partes poenitentiae.

45 Nescit an aliqua suffragia uiuorū prosint desūctis

46 Præstat seruare modum celebrandi missam, quam
seruauit primitua ecclesia, quām in uolui statu-
tis istis citra dei præceptū editis.

47 Ista statuta per ecclesiam circa missam, sunt insti-
tuta contra præceptum dei & Christi.

48 Si prædicta statuta uel ceremoniae sunt ex ordina-
tione humana, & non ex diuino præcepto, tunc
sunt contra ius diuinum.

49 Non obligamur legere horas canonicas sub poena
mortalis peccati.

50 Ipse legendoo horas canonicas semper fecit contra
ius diuinum, quia nunquam orauit patrem in sp̄i
ritu & ueritate.

51 Mallet quod collū suum amputaretur, etiāsi ha-
beret decē colla, quām quod responderet quæsti-
onibus propositis.

52 Si peccator se credit uere absolutum, peccata sunt
ei dimissa.

53 Præstat nō negare laicis, quod Christus omnibus
tradendū reliquit, id est, communionē sub utra-
que specie

54 Prohibentes laicos cōmunicari sub utraq; specie

- faciunt contra intentionem diuinam.
- 55 Verba consecrationis debent alte proferri.
- 56 Interrogatus an liceat sanctos adorare , dixit se nolle amplius respondere.
- 57 Interrogatus an esset seductus à Lutherō (& q̄a timetur esse seductus à Lutherō, ideo proponuntur etalia interrogatoria) Ego sum, inq̄t. seductus sicut Christus seduxit Apostolos suos.
- 58 Contra ius diuinum est, quod clericis sunt exempti à iurisdictione imperatoris.
- 59 Papa non habet aliam potestatem, quam prædicandi uerbum dei, & pascendi oues suas prædicatione uerbi dei.
- 60 Bene uidet, quod uerbum dei non est in dominis Commissarijs.
- 61 De uita parum curat, animā suam cōmendat deo.
- 62 Non intellexit abiurare omnes & singulos errores per ipsum confessos . Et requisitus & iussus distulit abiurare.

F I N I S.

www.e-rara.ch

**Historia de duobus Augustinensibus, ob evangelij doctrinam exustis
Bruxellae, die trigesima lunij. Anno domini M. D. XXIII**

Reckenhofer, Martin

[Basel], [1523?]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH Aleph D XI 39:4

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-2015>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]